

X. N. 13

PANEGYRICVM
SEMPITERNIS LAVDIBVS AC GLORIAE IMMORTALI
DIVI
LEOPOLDI
SECVNDI

ROMANORVM IMPERATORIS AVGVSTISSIMI
REGIS GERMANIAE HIEROSOLYMORVM
HVNGARIAE BOHEMIAE RELIQVA

SACRATVM

ET

DIE XXIX MARTII MDCCLXXXII
IN AVDITORIO SOLENNI
RECITANDVM

RECTOR

ACADEMIAE LVDOVICIANAE

CAROL. GVILIELM. CHRISTIAN.
MVELLER

MED. DOCTOR ATQVE PROFESSOR PVBLICVS
ORDINARIVS

INDICIT

ET

AD EVM BENIGNE AVSCVLTANDVM
PATRES ACADEMICOS
OMNIVM ORDINVM PROCERES
CIVES GENEROSISSIMOS ET PRAENOBILISSIMOS

INVITAT



GIESAE

LITTERIS BRAVNIANIS.

4° 1/8535(7)





In libro nono Aeneidos Virgilianae, postquam fama exitum Euryali, qui contra Rutulos pugnans mortem oppetierat, matri nuntiauerat, inter varios questus, quibus faemina lugens coelum implet, in versu 486 his utitur verbis: *Nec te tua funera mater produxi*, de quo loco plerique Maronis interpretes prorfus desperant. Seruius vocabulum *funera* pro adiectiuo habuit, ita, vt matrem *funeram* eam esse dicat, quae funus filii procurat. Verum, an vnquam in lingua Latina vox *funera* adiectiue vsurpata fuerit, merito dubitatur, atque in loco illo Ennii, ad quem prouocari solet: *Nemo me lachrymis decoret, nec funera fletum faxit* (vt taceamus, hic ante vocem *funera* quoad subintelligi posse) codices meliores *fecit pro fletu* legunt. Patronus, qui *funera* pro accusatiuo pluralis numeri haberent, atque vel ad vel in supplerent, ita, vt mater dicere voluerit, se filium non *produxisse*, id est, educaisse eum in finem, siue ea expectatione, vt eundem sepeliret, inepta omnino sententia. Quanto generosius Graecus ille amisso filio exclamauit: *Mortalem me genuisse scio!* Catroeus nimia subtilitate excogitauit, inter verba: *te & funera* reticentiam quandam suspicandam esse talem, qualem hodie obelo longo notamus, ita, vt totus locus sic scribatur: *Nec te — tua funera mater produxi*, quasi mater dicere voluisset: *Non te, sed (se ipsam corrigens) funus tuum educaui*. Ast *funus educare* pro *filium educare praemature moriturum*, quam dura oratio! Castalio insolentius vocabulum *te* versus 485 cum participio *tegens* versus 487 construere suadet. Variis quoque emendationibus loco illi mederi studuerunt interpretes, nunc pro *te* siue *enim*, siue *ego* legentes, nunc inter *te & tua* inferentes *Et*, quo omnis venustas loci deletur, iam pro verbis *te tua* audacter satis vocem *iristia* substituentes, iam denique (quae quidem coniectura facilitate commendatur) vocabulum *funera* mutantes in *funere*. Verum enim vero ad coniecturas confugiendi necessitas nobis quidem grauior nulla adesse videtur. Si verba *tua funera* secundum figuram poctis vsitatissimam pro *tuum funus* posita esse dicamus, si eadem per appositionem (pro more querentium, qui verba cumulare solent) cum verbo *te* coniungamus, omnia facillime explicari posse putamus. Verbum *produxi* non de collocatione funeris ante ianuam, quae Ruaci opinio est, neque de educatione (seu potius procreatione, quo sensu Horatius Carm. Saec. v. 17 dixit: *Diua producas sobolem*) neque de matre funus praecedente, sed de omni cura, quae ad funus efferendum requiritur, interpretamur. Vocabulum *ducere*, sicuti de omni pompa, ita praefertim de *funere* vsurpari, neminem fugit. Sic Plinius Hist. Nat. X cap. 60 dixit: "Adeo satis iusta causa populo Romano visa est exsequiarum ingenium auis in ea vrbe, in qua multorum principum nemo duxerat funus." At non est, cur apud Virgilium verbum compositum *producere* pro simplici *ducere* positum esse existimemus. Quemadmodum enim verbum *producere* non solum pro voce *comitari* adhiberi solet, (v. c. a Valerio Flacco Argon. V. 380, vbi de Diana dicitur:

Teque renodatam pharetris ac pace fruentem
Ad sua Caucaeseae producunt flumina Nymphae)

sed

sed etiam de omnibus vsurpatur, quae spectaculo exhibentur, (v. c. a *Cicerone* Att. IV. 15: "Is erat ante manumissus, quam *productus* palmam tulit") ita vox praefertim propria est de exsequiis procurandis. Similiter *Lucanus* Pharf. II. 297 dixit:

Ceu morte parentem

Natorum orbatum, longum *producere* funus
Ad tumulos iubet ipse dolor.

Euryali mater postquam lamentationem finierat, poeta inde a versu 499 haec addit:

Hoc fletu concussi animi, moellusque per omnes
It gemitus, torpent infractae ad proelia vires.

Idem, qui tunc Troiano exercitui, nuper toti Germaniae, nobisque ipsis sensus fuit, simulac primo vagi rumores, mox certi nuntii IMPERATOREM AVGVSTISSIMVM, LEOPOLDVM SECVNDVM, cui omnes longaeuam vitam exoptabant, subito defunctum esse significarunt. Concussi fuerunt animi omnium, quibus salus patriae communis cordi est, tam grauitur percussi, vt etiam de casu hoc funesto iam publice nuntiato dubitarent. Postquam ereptum esse Germaniae OPTIMVM PRINCIPEM, flatorem pacis atque felicitatis publicae, ita constabat, vt nullus plane dubitationi locus relinqueretur, gemitus, questus, lamentationes Germaniam, Hassiam, urbem nostram personuerunt. Mox SERENISSIMVS PRINCEPS, NVTRITOR ACADEMIAE LVDOVICIANAE CLEMENTISSIMVS, haud exiguum doloris communis partem suscipiens, non solum ciuitatibus luctum indixit, sed etiam a nobis concionem conuocari ad laudes DIVI LEOPOLDI e cathedra publica praedicandas imperauit. Iterum igitur partes SVMMO CAESARI parentandi demandauimus oratori Academiae CHRISTIANO HENRICO SCHMID, Serenissimo Principi a Consiliis Regiminis, Iuris Vtriusque Doctori, Philosophiae Artiumque liberalium Magistro, Poeseos atque Eloquentiae Professore Publico Ordinario, qui quidem XXIX. Martii hora X. matutina memoriam LEOPOLDI SECVNDI, oratione in consessu Patrum Conscriptorum recitanda, venerabitur. Ad quam panegyriū vt tanquam testes atque auditores frequentes confluere velint, MAGNIFICVM ACADEMIAE CANCELLARIVM, ILLVSTRISSIMVM COMITEM, OMNIVM ORDINVM PROCERES, CIVES denique ACADEMICOS rogamus atque obtestamur.

P. P. Giffae d. XXVIII Martii MDCCLXXXII.



Sub Sigillo Academiae maiori.

Gzd

X 113

PANEGYRICVM

SEMPITERNIS LAVDIBVS AC GLORIAE IMMORTALI

DIVI
LEOPOLDI
SECVNDI

ROMANORVM IMPERATORIS AVGVSTISSIMI
REGIS GERMANIAE HIEROSOLYMORVM
HVNGARIAE BOHEMIAE RELIQVA

SACRATVM

DIE



ACA

CAROL.

TIAN.

M V E L L E R


MED. DOCTOR ATQVE PROFESSOR PVBLICVS
ORDINARIVS

INDICIT

ET

AD EVM BENIGNE AVSCVLTANDVM
PATRES ACADEMICOS
OMNIVM ORDINVM PROCERES
CIVES GENEROSISSIMOS ET PRAENOBILISSIMOS

INVITAT



LITTERIS BRAVNIANIS.